Deus compescat tyrannos omnes, et
gloriam filij sui Dni nri Jesu Christi
defendat. Bene vale. Die Augusti 19.

D. Doctor recte valet, Philippus Melanthon

Vocatus est ad Pretsch, quo venit Dux Dresdensis
adducens sponsam Hans Lösers.

Viro optimo D. Nicolao Amsdorfio
docenti Evangelium in Ecclesia
Madeburgensi amico suo precipuo.

S D. Ita extrahuntur negotia in conventibus
Ut certi nihil sciri possit ante exitum.
Ideo nihil respondi ad tuas literas, teque
rogo, Ut veniam des meo silentio.
Et ille conventus precipue multa ha-
buit odiosa certamina, quae fortassis
audisti ex civibus tuis. Et coram me-
lius narrari possunt. Nunc novi nihil
habemus, nisi famam de morte coniugis

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

Imperatoris. Hanc nunc affirmant et
putant novas moras Caesari in Hispania
allaturam esse. Scribe ad senatum Madebur-
gensem de pictore nostro Sebastiano, qui pro-
misit eis operam hoc tempore, sed impeditur febri.
Ideo rogat, Ut differri illas operas sinant, et
interea ne conducant alium pictorem.
Homo probus est, et propter Evangelium
exulat. Rogo ut eum senatui commendes.
Princeps Elector Dux Saxoniae diligenter la-
borat, ut Ecclesiae in ditione Ducis Henrici
bene constituantur, quas quam in quoque Deo
precibus tuis commendabis, Nam voluntates
hominum ibi sunt admodum variae.
Bene et feliciter vale. 6. Junij

Philippus Melanthon.